Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1465
Quelle:
Copyright:

Compilator ne quidem a ſpurcis et Hierarchiae Eccleſiae Rom. maxime injurioſis Iconiſmis manum abſtinuerit, quae res vel ipſi *Calovio* ſtomachum moviſſe videtur; neque enim adeſt promiſſa in *Titulo* ejus *Praefatio*, ut adeo totum Editionis hujus conſilium intercidiſſe putem, Electore et *Mansfeldio* patrocinium detrectantibus. Ceterum omnia, quae hoc *Codice* continentur, quaeque longum foret minutim percenſere, nullus dubito in ultimam, ampliſſimamque Operum *Lutheri* Editionem *Lipſ.* recepta fuiſſe, ſi demas Icones ipſo Stercutio artem commodante a *fol.* 251. adumbratas, quae inſcribuntur: *Wieder das Pabſtthumb. A.* 1545. *Etliche Bilder D. Mart. Luth.* Rhythmos 4. vernaculos ſingulis ſubjectos vix mihi perſuadeo *Lutheri* eſſe, ita hiulci ſunt; eos tamen ſedulus *Poeta* noſter *laureatus Zeidlerus* etiam latine reddidit, addita a tergo *Gloſſa Magiſtrali* rhythmica vernacula, quae latrinam profundius rimatur, et *Zeidlero* antiquior eſt. Facile haec *Luthero* altero mox anno e vivis ſublato ſubponi potuere, et ſane non unus Autor, ſi in vitam rediret, reſpueret quaedam ſuo nomine vulgata ab Heredibus prave officioſis.

DCXXXIII.

R. 635 Codex chartaceus germ. Sec. XVI. Folior. 161. 4. eſt Paraphraſis metrica primae *Pſalmorum Davidicorum* Quinquagenae, inſcripta: *Die erſten funffzig Pſalmen, wie ſie nach der ordnung im Pſalter Dauids ſteben, vnd dem deutſch vnd dolmetſchen nach, des Erwirdigen vnd Hocherleuchten Mans Gottes Herren Doctoris Marthini Lutheri* (cujus Iconem Compactor etiam Thecae auro impreſſit) *In Reim vnd Geſangweyſs auffs neu geſtellet, durch Michael Wincklerum dienern des H. Euangelions, vnd Pharherren zum Traunſtein. Nach Chriſti Geburth Im Jar.* 1572. *Mich.* hunc *Wincklerum* nec in ſic dicta *Raupachii Presbyterologia Auſtriaca*, nec in aliis Lexicographis reperio, nec ille de ſe aliud in Praefatione memorat, quam variorum Procerum et Civium *Styrenſium* beneficiis adjutum fuiſſe, dum dimiſſa Parochia *Gemundenſi* muneris expers apud *Job. Kugelmannum* Seniorem et Paſtorem *Anaſinum* degeret. Et fortaſſis ille cura *Gemundenſi Flacianorum* machinis extruſus fuit, contra quos Peccatum originale merum *Accidens* eſſe docet. Directa eſt haec Praefatio ad *Sophiam Achatii de Landau* L. B. in *Rappotenſtein* Conjugem, Matronam, ut ait, divini Verbi amantiſſimam, ſed et quidam Pſalmi aliis dicati ſunt, puta: *Job. Adamo Hoffman* Bar. in *Grünpühl et Streehau* Burggravio *Styrenſi*, *Ge. Achatio* D. de *Loſenſtein et Weyſsenburg*, Bar. in *Loſenſteinleyten*, *Magdalenae* natae de *Scherffenberg* viduae *Johannis de Prag*, et D. *Catharinae* Oetta-